DE

CARCINOMATE TESTICULORUM.

DISSERTATIO INAUGURAEIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XV. MENSIS MARTIIS ANNI MDCCCLVIII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOANNES GODOFREDUS MUENCH,
RHENANUS.

OPPONENTES ERUNT:

F. MUECKE, DR. MED.
F. TROST, DR. MED.
V. MIERSWA, CAND. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

Ex numero neoplasmatum, quibus destruuntur estes viriles, elegi unum de quo amplius dissererem, um quia saepius observatur id neoplasmatum genus n testiculo humano, tum quod differt ab aliis et deursu et exitu pernicioso. Casum deinde liceat meorabilem accuratius describere, observatum in hoc ostro nosocomio Gryphico.

Inveniuntur in veteribus de arte chirurgica scritis descriptiones morbi, quo imprimis testes affici iriles auctores inter se consentiunt. Nominum, uibus a singulis scriptoribus induitur morbus ille esticulorum, magna est varietas; haud minus inter e differunt singulorum de aetiologia, decursu, exitu orbi narrationes. Hoc vero omnibus scriptoribus ersuasum esse videtur, duas mali istius formas staendas esse discernendumque inter testiculi scirrhum t carcinoma, quae symptomatibus variis incedere, arium decursum habere et varium in modum a medico actanda esse putant. Attamen plurimi carcinoma esticuli ex scirrho oriri posse non negant, multi etiam cirrhum primum esse carcinomatis testiculi stadium ontendunt. Quo morbo, sub nomine scirrhi, carcinoatis, tumoris maligni, tumoris fungosi descripto, sae-

pissime autores referunt affici testes viriles. Sic Boyer*) dicit de scirrho: Invenitur scirrhus in omnibus corporis partibus plerumque autem corripit testiculos cet. Idem de carcinomate sententiam affert: Paucae sunt corporis humani partes in quibus non possit morbus iste oriri; perniciosum autem in modum eligit mammas, testiculos cet. Similia inveniuntur in scriptis aliorum chirurgorum. Larrey**) circiter centum homines se per breve temporis spatium operatione aut scirrho aut carcinomate testiculi liberavisse narrat. A. Cooper***) morbum testiculi, quem tumorem malignum, fungosum nominat, crebrum esse contendit.

Quamquam nostris quoque temporibus carcinoma testiculorum saepius inveniri non negamus, attamen inter copiam, quam literatura affert, exemplorum stricte discernas necesse est. Priusquam ad dignoscenda neoplasmata mikroskopium adhibitum est, accurata singularum formarum sejunctio disquisitione tantum macroscopica instituta difficillima erat et multi certe tumores et habebantur et appellabantur tumores carcinomatosi, quos non tales esse nos diceremus. Non quidem nescio ope microscopii in tumoribus carcinomatosis aliquid non inveniri, quod si in con-

---

*) Handbuch der Chirurgie von Baron Alexis Boyer. Uebersetzung von Cajetan Textor.

**) J. D. Larrey's chirurgische Klinik. Uebersetzung von A. Sachs.

***) Bildung und Krankheiten des Hodens. Beobachtungen von Sir Astley Cooper.

spectum veniret, tumorem istum nihil aliud esse nisi tumorem carcinomatosum probaret. Attamen suspicionem quandam non poteris a te amovere et coactus eris dubitare, diagnoses utrum rectae sint an falsae, quum exempli gratia in scripto supra citato legeris, ex numero aegrotorum — qui fuere centum — quos Larrey*) carcinomate aut scirrho testiculi modo uno modo utroque testiculo exstirpatione ablato liberavit, duos tantum esse mortuos et quum eodem loco sententiam repereris: post exstirpationem mammae carcinomatosae aut partialem aut totalem malum nunquam postea rediisse. Ab altera parte casus illi quos A. Cooper**) accuratius descripsit sub nomine tumorum testiculi fungosorum omnes aut breviore aut longiore temporis spatio morte finiti sunt. Mortem vero secutam esse plerumque narrat scriptor, quum post evulsum tumorem testiculi morbus ille insidiosus organa interna affecisset et imprimis quidem intestina abdominalia. Ipse auctor artis chirurgicae peritissimus affert sententiam: fit frustra carcinomatis testiculi operatio sicubi tumor ad magnitudinem quandam accrevit et sicubi aegroti valetudo universalis perturbatur; redit malum post exstirpationem neoplasmatis.

Haud minus variae inveniuntur in veteribus hac de re auctoribus de aetiologia morbi illius narrationes. Legitur: carcinoma esse malum hereditarium, quum

*) l. c. pag. 67.

**) l. c. pag. 84. seq.

ab altera parte sententiam reperis: carcinoma non posse a parentibus in liberos transferri. Qua de re etsi hodie quoque stricte judicare non possumus, quia inveniuntur homines, carcinomate laborantes, qui parentes suos eodem malo affectos fuisse profiteantur, id certe statui posse censeo: Esse parentes, neoplasma cancrosum secum ferentes, quos liberos sanos et nihil quidquam carcinomatis usque ad vitae finem ostendentes procreasse constat. Huc mihi pertinere atque haud parvi ad comprobandam eam sententiam momenti esse videtur casus ille memorabilis, quem Lobstein*) observavit, qui collum uteri feminae cujusdam ulcere carcinomatoso deletum fuisse, feminam deinde concepisse et neque uxorem neque infantem quidquam ex ea re incommodi hausisse narrat.

Accusantur vulgo causae praeterea esse mali istius perniciosi traumata, dyscrasia scrophulosa, arthritis, cachexia potatorum, rheumatismus, menses suppressi etc. Quos morbos, quamquam interdum reperiuntur in hominibus, quorum postea vitam carcinomate alicubi exorto finitam esse audimus, nequaqam inter causas hujus mali enumerare licet, quum permulta carcinomata observata sint in hominibus, quos neque hoc neque illo morborum supra dictorum affectos fuisse constet. Jam si tibi placet, poteris defendere opinionem, dolores illos, quos arthriticos sive rheumaticos esse auctores dicunt aliaque incommoda, quae

---

*) Lobstein: Lehrbuch der patholog. Anatomie. Band I.

ex dyscrasia quadam aut ex mensium suppressione aut ex alia causa deducere scriptores conati sunt, orta esse ex ipsius carcinomatis praesentia, nondum a medico cognita. Hoc unum permultis observationibus, quas imprimis Rokitanski*) collegit, comprobatum esse videtur, non posse in eodem corpore humano florere dyscrasiam tuberculosam una cum dyscrasia carcinomatosa, quum aut excludatur aut certe deleatur et extinguatur haec alterâ.

Priusquam historiam morbi referam, liceat dicere quaedam de tumorum testiculi carcinomatosorum anatomia pathologica.

Elementa microscopica tumorem testiculi cancrosum, uti omnia carcinomata, constituentia sunt haecce: stroma, cellulae, succus carcinomatosus, vasa sanguifera. Non inter se differunt illa elementa in variis carcinomatum generibus; sunt eadem omnibus neoplasmatum cancrosorum speciebus. Ex varia tantum elementorum dispositione et ex qualitate physica, quae praevalente hoc illove elemento gignitur, deducitur nomen speciale. Succus carcinomatosus, cellulas nucleosque continens, si per ipsum organi alicujus textum diffunditur, format tumorum cancrosorum speciem illam, quam dicunt cancrum infiltratum. Quae infiltratio carcinomatosa stromate plerumque proprio caret ipsiusque telae infiltratae partes stroma quasi constituunt. Ab altera parte tumores cancrosi illi, qui stromate instructi sunt proprio, ipsius stro-

---

*) cf. Oesterreich. Medic. Jahrbücher. Band XVII.

matis quantitate et formatione inter se differunt. Sunt tumores, in quibus tela cellulosa, ex qua stroma componitur, valde praevalet ceteris elementis ita ut inter largos latosque tractus fibrosos parva modo et pauca inveniantur intervalla, cellulis nucleisque impleta. Talem in modum gignuntur tumores structuram praecipue fibrosam offerentes, consistentia firma, duritie interdum enchondromatis; crescunt plerumque lente et appellantur nostris temporibus: scirrhus seu carcinoma fibrosum. — Observantur tumores alii, in quibus pauci tantum reperiuntur et tenues stromatis fibrosi tractus; large in iis praevalent cellulae nucleique per parci stromatis interstitia ampla lataque dispersi. Sunt tumores consistentiae minoris, molles, medullae cerebralis aspectum praebentes. Inde nomen hisce tumoribus, qui ob rapidam cellularum formationem celeriter crescunt, inditum: Carcinoma medullare; Encephaloide.

Cellulae, quas permulti specificas in hoc neoplasmatum genere esse voluerunt, inveniuntur eaedem in tumoribus cancrosis et forma quidem magnitudineque diversissima. Offert disquisitio microscopica nucleos partim liberos partim cellulis inclusos, nucleolorum unum vel duos continentes. Sunt nuclei magnitudine $\frac{1}{300}'''$, alii $\frac{1}{200}'''$, majores. Quanti nuclei, quamquam interdum etiam in aliis reperiuntur telis humani corporis, attamen si praevalent numero inter elementa alicujus neoplasmatis, carcinomatosum id esse neoplasma, ut plurimi sentiunt, demonstrant.

Non minus inter se differunt magnitudine cellulae carcinomatosae quam nucleos varios esse vidimus; inveniuntur praeterea cellulae forma diversissima: cellulae globosae, multangulae, ovales, caudatae. Omnia ostendit objectum microscopicum cellularum stadia; conspiciuntur cellulae formationis vetustioris et provectioris, nec non cellulae recentiores, formationis novae. Observantur praeterea omnes geneseos cellularum modi; augetur numerus cellularum et divisione praesentium et formatione novarum. Neque etiam cellulam quidquam habere specifici pro tumoribus carcinomatosis poteris contendere.

Vasa sanguifera, pro nostro objecto ex arteria spermatica interna et arteriis anastomoticis orta, tractus sequuntur stromatis fibrosi et cum hoc diffunduntur per singulas neoplasmatis partes. Arteriolas praevalere numero vasis venosis a quibusdam contenditur, quae res causa esse ingentis et rapidissimi tumorum cancrosorum incrementi putatur. Ex vasorum capillarium majore minoreve numero aequum in modum, atque ex quantitate telae cellulosae, stroma carcinomatum constituentis, dignoscuntur et denominantur tumorum varietates. Scirrhus pauca tantum et parva continet vasa sanguifera, quam ob rem lente ejus incrementum procedere dicunt. Quem quum dissecueris, paullulum modo sanguinis vides ex superficie profluere. Alia vero carcinomatis forma, cui propter abundantiam vasorum capillarium nomen ab autoribus inditum est: fungus haematodes, jam colore rubro et haemorrhagiis, quae saepissime

in eo observantur satis se uberrime instructum esse vasis sanguiferis demonstrat.

Historia morbi.

Joannes Vollmann, textor, 43 annos natus receptus est in nosocomium nostrum die 8 mens. Junii anni 1857. Anamnestica: Ante annos septem aegrotus, qui tum fuit annorum 37, animadvertit tumorum parvulum, magnitudine fabae in parte infima testiculi dextri, indolentem, durum; si comprimebatur, paullulum doloris efficientem. Non potest recordari aegrotus, se priore tempore aut compressione aut ictu violasse testiculum dextrum neque unquam se ante hoc tempus morbo graviore, praesertim morbo genitalium affectum fuisse. Quum nihil incommodi ei oriretur ex tumore isto pro nihilo malum habuit atque per anni spatium neglexit. Tum vero etiam ipse testiculus dexter — demonstrat aegrotus in testiculo sano, sedem primi tumoris fuisse epididymidem dextram — intumescere coepit et brevi tempore ad magnitudinem ovi gallinacei increvit. Etiam tum, quia sine ullo dolore atque incommodo malum erat, repudiavit aegrotus auxilium medici. Hunc in modum per annos quinque a primo initio secum portaverat aegrotus tumorem illum testiculi atque epididymidis; sed anno 1856 ineunte aestate etiam dimidium dextrum scroti — quod usque ad id tempus intactum erat — intumuit et dolor, qui antea paullulum modo aegrotum vexaverat, auctus est. Scrotum,

pondere tumoris testiculi depressum, magno dolore aegrotum afficiebat, qui dolor a scroto ortus usque ad regionem ossis sacri proficiscebatur; etiam vestis, quae scrotum fricabat, haud parvum dolorem efficiebat. Tum demum aegrotus negotium suum reliquit, quum labore et motu dolores augerentur. Paravit sibi suspensorium quoddam, ut ita dicam, quo suspendere scrotum posset. Doloribus hoc auxilio mechanico minutis sanationem mali nullo medico adhibito exspectavit. Sic totum fere annum peregit; nullam per hoc tempus variationem partis aegrotae animadvertit neque etiam, ut ipse dicit, vires ejus debilitatae sunt. Mense Julio anni 1856 subito scrotum dextrum infimo loco vehementissimus dolor affecit, lenissimus ictus dolores auxit ita ut porro perpeti nullo modo posset. Cutis scroti erubuit, incaluit, obduruit. Tum demum aegrotus, quia sedere propter dolores maximos porro non poterat, in lecto se continuit, sed tamen, quamquam saepissime uxor adhortabatur, artem medici adhibere noluit. Dolor in dies auctus est praecipue in illa infima scroti parte, ubi tumor fastigatus ortus erat, qui summos dolores aegroto afferebat. Ineunte mense Septembri cutis hujus loci, quae usque adhuc adspectum praebuerat normalem, parvo ulcere tecta est, quod citissime crevit. Pus ex hoc loco perforationis non evacuatum est, paullulum modo profluxit fluidi lividi, quod odorem foetidissimum spargebat. Paullo post aegrotus animadvertit margines hujus ulceris, quod interea ad magnitudinem thaleri accreverat, flecti versus peri-

pheriam et ulcus imum magis magisque excavari. Sic ulcus progreditur, in dies augetur uti flos, qui florescit. Quamquam autem malum tam grave jam esset, tamen aegrotus medicamenta non adhibuit, donec postremo precibus uxoris et liberorum, qui odorem ulceris foetidissimum diutius perpeti non possent, commotus in nosocomium nostrum portari se jussit.

Animadvertendum porro est per duos annos modo peractos etiam glandulas inguinales intumuisse, sed non tam celeriter in iis malum progressum est, quam in testiculo ac scroto. Glandulae formant ex illo tempore a sinistra parte duos arctissime nexos tumores, quorum alter superior fere ovo gallinaceo major est; a parte dextra unus modo glandularum tumor ortus est, qui magnitudine huic descripto similis in superficie ulcus ostendit, quod octo hebdomadibus antequam aegrotus in nosocomium receptus est, in lucem prodiisse narrat.

Quod porro ad historiam aegroti attinet, is annos 25 natus uxorem in matrimonium duxit, ex qua duas genuit filias, quarum natu minor annos modo duos nata angina membranacea mortua est, major autem adhuc bona valetudine fruitur. Uxor neque antea aegra fuit, neque nunc morbo laborat.

Status praesens: Aegrotus humili habitu et infirmis musculis est. Panniculus adiposus invenitur normalis; cutis pallorem induit. Aegrotus se non valde debilitatum morbo esse dicit et usque ad id tempus ingredi potest, sed varicatis pedibus. Inspectio

localis haec demonstrat: Illic ubi in sano homine scrotum reperitur, vides inter femora magnam superficiem ulcerosam. Haec porrigitur a superiore symphyseos ossium pubis margine usque ad perinaeum et transgreditur lineam corporis medianam a parte dextra 4, a parte sinistra 3 digitorum crassitudine. Format autem figuram quadrangulam, cujus superiores anguli eadem in altitudine reperiuntur qua symphysis ossium pubis, inferiores anguli trium digitorum crassitudine sub insertione scroti sunt. Hoc ulcus permagnum ad superficiem globi in modum curvatum est, at media fere pars uti umbilicus depressa invenitur. Et aegrotus narrat hunc locum depressum fuisse initium ulcerationis, esse locum primae perforationis neoplasmatis testiculi. Quod aegrotus dicit, etiam natura loci et neoplasmatis confirmat. Nam si quis aliqua in parte ulcerationis marginem curvatum et retrorsum flexum tollit, posteriorem ulcerationis parietem sana cute tectum esse videt. Haec vero cutis sana nulla alia est, quam cutis scrotalis, quae progressu ulcerationis magis magisque repressa est. Si hunc in modum superior quoque neoplasmatis margo elevatur, sanus cernitur penis usque ad insertionem suam ad inferiorem symphyseos ossium pubis marginem; margine neoplasmatis non sublato, glans penis modo et pars anterior corporum cavernosorum cerni potest. — Mensura superficiei hujus neoplasmatis est haec:

Linea diagonalis rectanguli:

a parte inferiore sinistra ad dextram partem superiorem = 22 Ctm.

a parte inferiore dextra ad sinistram partem superiorem = 21 Ctm.

Diametri rectanguli recti:

a superiore margine ad inferiorem = 19 Ctm.

a dextro margine ad sinistrum = 17 Ctm.

Superficies, omissa copia modo majorum, modo minorum colliculorum, inter quos parvi loci depressiores reperiuntur, in media fere parte cavatiorem fere triquetram lacunam habet. Quam lacunam primae perforationis locum fuisse aegrotus demonstrat. Testiculi autem, qui antea fuit, nihil neque hac in lacuna neque in alio loco ulcerationis cernitur. Tota superficies cinereum sordidum colorem habet; nodi autem, qui illic surgunt, nigri sunt, fulgentes quasi lacca induti. Fulvum et sordidum secretum praeterea in cavis locis superficiei reperitur, quod teterimum odorem diffundit.

Praeter id magnum scroti ulcus in arcu crurali dextro, crassitudine digiti a superiore scroti exulcerantis angulo, tumorem vides magnitudine ovo gallinaceo similem, quem glandulis inguinalibus ortum esse et postea in ulcerationem transiisse aegrotus narrat. Duo similes glandularum tumores, qui modo sana cute teguntur, in arcu crurali sinistro inter se cohaerentes reperiuntur. Qui tumores pressi aegrotum dolore afficiunt; structura eorum firma est, nusquam fluctuationem praebent. Tumores istos ante annos duos ortos esse et ulcerationem tumoris

in dextro latere siti octo hebdomades ante receptionem in nosocomium incepisse aegrotus refert.

Diagnosis: Neoplasma quoddam esse aegroti malum, jam primus adspectus docuit. Hoc ita se habere demonstravit immensus et sensim auctus progressus, deinde initium mali ante multos annos. Quum autem videremus, testiculum dextrum primum aegrotasse et tum demum secundo loco scrotum, quod illum tegit, morbo correptum esse non putavimus id, quod multum habebat probabilitatis, morbum esse, qui dicitur carcinoma epitheliale scroti, sive ut Germani „Schornsteinfegerkrebs.“ Sed re ipsa comprobatum potius est, malum esse fungum testiculi, quem secutus est loco secundo post perforationem tunicae albugineae ac scroti fungus scroti et postea, quum per vasa lymphatica neoplasma diffusum esset, fungus glandularum inguinalium.

Illud autem plus probabilitatis accepit, quum permagnum ulcus accuratius inspicientes, non adhibito microscopio, jam omnia itelligeremus signa, quae fungum demonstrant: margines reflexos, quum post perforationem scroti ulceratio incepisset, rapidissimum progressum, luxuriem neoplasmatis, quae ad omnes partes versus progressa erat. Praeterea neoplasma permultis abundare vasis sanguiferis demonstrat superficiei color niger, ortus, uti adspectus docet, ex parvis haemorrhagiis, quarum residua, sicuti crustae sanguinis arefactae superficiem tegunt.

Comprobantur firmanturque ea, quae contemplatione macroscopica de natura neoplasmatis statuimus

disquisitione elementorum, quae neoplasma constituunt, ope microscopii instituta. Accurate perscrutati sumus particulam quandam ex superficie neoplasmatis exsecatam.

Invenimus permultos magnosque vasorum capillarium laqueos per parcum ac tenue stroma, ex telae cellulosae fibrillis constructum, dispositos. Cellularum praebebat objectum numerum immensum et forma quidem magnitudineque diversissima. Vidimus cellulas instructas nucleo, unum vel duo nucleolos continente; vidimus nucleos liberos, in cellulas non inclusos, majores minoresve nucleolum continentes aut sine nucleolo.

Qua disquisitione microscopica freti putavimus hunc morbum esse fungum scroti ortum e fungo epididymidis et testiculi atque diximus aegroto eum modo evulso toto neoplasmate posse sanari.

Therapia: Ut teterrimum illum odorem deleremus jam initio totam superficiem suppurantem calcar. hypochloros. consperismus. Quum saepius ulcus illud aqua calida ablutum et rursus calcaria hypochloros. conspersum esset, odor aliquanto minutus et superficies secreto et arefacto sanguine liberata est, ut totum ulcus aspectum granulationum subrufarum fungosarum praeberet. Abundantiam vasorum capillarium etiam nunc neoplasma ostendit, quum jam aqua siphone adspersa profusionem sanguinis efficeret. Itaque, quo impediretur illa sanguinis profusio saepius superficiei liquorem ferr. sesquichlorat. instillavimus.

Operatio: die 12 mens. Junii. Postquam aegrotus satis inhalationibus chloroformii sopitus erat — posuimus eum sicuti ad lithotomiam hypogastricam — margines neoplasmatis a partibus, quibus impositae erant, sublati sunt; incisio deinde facta est semilunaris in cutem quam proxime ad insertionem scroti degeneris, ubi basis fuit totius neoplasmatis. Quae incisio latus internum neoplasmatis circumibat et fere trium digitorum crassitudine ab insertione penis incipiens usque ad orificium ani fere porrigebatur. Quo facto altera incisio cum priore convergens in cutem facta est, quae externum baseos neoplasmatis latus circumibat. Deinde omnis neoplasmatis moles, a duabus baseos partibus circumcisa, forcipe uncinato (Muzeux) quantum potuit sublata sensim aliis incisionibus factis omnino a fundamento soluta est. Vidimus autem, tota mole remota, jam septum scroti neoplasmate deletum esse; nam in vulnere exstirpationis nudus videbatur testiculus sinister; qui quum sanus videretur, ab adjutore quodam sub proximam cutem immissus et illic ad canalem inguinalem sinistrum retentus est. Conspiciebatur praeterea in apertura externa canalis inguinalis dextri sacculus peritonealis magnitudine ovi columbini, nihil intestinorum abdominis continens, (saccus herniae inguinalis externae vacuus). Lumina deinde vasorum, quae dissecta fuerant, ligatura sunt clausa. Omnis fungi moles post extirpationem, quamquam vasa sanguifera inania inveniuntur, attamen pondus unciarum sedecim habet.

Aequum in modum etiam tumores glandularum inguinalium in utroque arcu crurali siti circumcisi et exstirpatione ablati sunt; omnes praeterea partes vicinae, quas morbo correptas jam esse aspectus docuit, quantum fieri potuit, excisae sunt, ita ut omnes incisiones ut videbatur per telas sanas cursum haberent. In sinistro latere post extirpationem tumoris glandularum fungosi venae saphenae magnae pars superior paullulum infra foveam ovalem, ubi effluit ista vena, obliterata et funiculo duro ac solido similis conspiciebatur; aeque se habebant venae parvae vicinae in venam saphenam magnam effluentes.

Etiam in vulneribus exstirpatione glandularum inguinalium effectis complurium vasorum dissectorum lumina ligatura claudi opus erat. Vulnerum margines deinde, quantum fieri potuit, suturis nodosis inter se conjuncti sunt; cetera eorum superficies linteola carpta obtecta, quae emplastro adhaesivo fixa est.

Operationis, quae horae spatio fere finita erat, effectum potes nominare optimum. Valetudo aegroti paullulum modo primis post operationem diebus perturbata est et vulnera, exstirpatione posita, quamquam fuere permagna celeriter, postquam suppuratio et granulationum formatio inceperat, deminuta sunt, ita ut die octava mensis Augusti in arcu crurali dextro firmam et pro magnitudine vulneris parvam modo cicatricem videres, quum in regione inguinali sinistra et in parte perinei dextra duo invenires ulcera parva. Tum vero redit morbus perniciosus primum in latere sinistro, tum in ulcere quod dextram perinei

partem obtinebat et die vicesimo secundo mensis ejusdem etiam cicatrix regionis inguinalis dextrae granulationibus carcinomatosis efflorescentibus deleta est. Invenitur praeterea non multo post tumor durus ex arcu crurali sinistro supra ligamentum Poupartii ortus in pelvem progrediens, qui in dies crescit.

Qui tumor sub initium mensis Septembris adeo auctus erat ut pugni magnitudinem praeberet atque superior ejus margo per compressos abdominis parietes in aequa altitudine ac spina ossis ilei anterior superior inveniretur. Quare quum iterata neoplasmatis exstirpatio institui non posset, vires miseri aegroti, quantum fieri posset, victu firmo beneque nutriente sustentare et liquore ferri sesquichlorati aliisque medicaminibus progressus mali localis coërcere conati sumus. Attamen medio mense Septembri aegrotus diem obiit supremum.

Sectio cadaveris, instituta post mortem hora vicesima quarta, ostendit haecce: Totum corpus et organa interna reperiuntur pallida, paullulum modo sanguinis continentia; exsudata serosa in pericardio, in utroque pleurae cavo, in sacco arachnoidali. Glandulae peritoneales massa firma fungosa infiltratae sunt. Tumor carcinomatosus, ex fungo in arcu crurali sinistro ortus, in pelvem porrigitur usque ad spinam ossis ilei anteriorem superiorem et impositus est venae iliacae externae sinistrae.

VITA.

Natus sum Joannes Godofredus Münch, fidei addictus catholicae, in oppido Saarlouis anno h. s. trigesimo secundo die XVII. mensis Aprilis patre Joanne, matre Anna e gente Dilet, quos morte mihi ereptos lugeo. Primis literarum elementis in gymnasio Confluentino imbutus, nactus testimonium maturitatis adii universitatem Bonnensem autumno anni LII ibique Rectore Magnifico Hilgers civibus academiae adscriptus sum. Per semestre hibernum audivi disserentes:

Ill. Mayer, Weber et Budge: de anatomia corporis humani, de arte cadaverum rite dissecandorum.

Ill. Plücker: de physice.

Ill. Naumann: de encyclopaedia et methodologia medicinae.

Ill. van Calker: de logice.

Deinde almam petii Gryphiam atque a Beat. Berndt Rectore Magnifico inter cives academicos receptus audivi per semestria novem:

Cel. M. Schultze: de zoologia et anatomia comparata.

Ill. Schultze: de physiologia, de anatomia corporis humani, de arte cadaverum rite dissecandorum, de anatomia pathologica.

Ill. Hünefeld: de chemia anorganica, organica, analytica; de mineralogia; dux mihi fuit in exercitationibus chemicis analyticis.

Ill. Stiedenroth: de psychologia.

Ill. Münter: de botanice, de zoologia.

Cel. Laurer: de materia medica, de toxicologia, de balneologia, de arte fascias rite adligandas.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicas rite concinnandi.

Exp. Haeckermann: de auscultatione et percussione, de medicina forensi, de neuralgiis.

Cel. Pohl: de tumoribus cum demonstrationibus microscopicis, de chirurgicis colli morbis, de syphilide.

Ill. Haeser: de pathologia quam generali, tam speciali, de semiotice et diagnostice generali, idem dux mihi fuit in clinico medico.

Beat. Berndt: de arte obstetricia, de pathologia et therapia speciali.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de akiurgia, de fracturis et luxationibus, idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali, de morbis organorum uropoëticorum; idem dux mihi fuit in clinico medico.

Cel. Eichstedt: de morbis cutis, de exercitationibus obstetriciis, de morbis mulierum, de morbis infantum; idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Quibus omnibus viris de me optime meritis gratias ago quam maximas; imprimis autem Ill. Bardeleben, cujus erga me benevolentia munus medici auxiliari in clinico chirurgico nactus, quo per menses tredecim functus sum.

THESES.

I.

Tumores carcinomatosos, quam primum dignoveris si fieri potest, exstirpatione removeas.

II.

Repudianda est versio in caput.

III.

Non omnis morbus Brightii ex nephritide ortus.

IV.

Icterus non morbus idiopathicus.